Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31713
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Fides spes caritas designatur hic per tria per quas virtutes intratur celum



Et fenestras obliquas in thalamis.

[illegible]telligentiam. caritas in atrio quia mentem dilatat in amorem. spes in loco quia L. describitur cubitis. quia per desideria atque suspiria introducit animum ad secreta gaudia quietis. De qua quiete et si adhuc ueritatis lumen sicut est non cernimus. iam tamen per rimas intelligentie aliquid uidemus. Unde hic subditur. In fenestris obliquis pars illa per quam lumen intrat angusta est. sed pars interior que lumen suscipit lata. quia mentes contemplantium quam uis aliquid tenuiter de uero lumine uideant. in semetipsis tamen magna amplitudine dilatantur. quia uidelicet ipsa que conspiciunt capere pauca uix possunt. Exiguum ualde est quod de eternitate contemplantes uident. sed ex ipso exiguo laxatur sinus mentium in augmento feruoris et amoris. et inde apud se ample fit. unde et ad se ueritatis lumen quasi per angustias admittunt. Que magnitudo contemplationis quia concedi non nisi amantibus potest. in thalamis oblique fenestre esse prohibentur. uel in his que iuxta thalamos non iam extrinsecus sed intrinsecus esse dicuntur. Nam de isdem fenestris subditur. Et in frontibus eorum que erant intra portam undique per circuitum. Erant enim in thalamis. erant et in frontibus eorum que intra portam undique per circuitum fuerant constructa. quia quia cor intus habet. ipse quoque lumen contemplationis suscipit. Nam quia adhuc exteriora inmoderatius cogitant. que sunt de eterno lumine rime contemplationis ignorant. Neque enim cum corporearum rerum imaginibus illa se infusio in corporee lucis capit. quia dum sola uisibilia cogitantur. lumen inuisibile ad mentem non admittitur. sed quis quis iam lumine contemplationis intendit. mag

55

Lz contemplatio per deeternitate uideant tamen in seipsis amore maximo dilatantur

104